


Zur  
Gräfl.vom Hagen'schen  
Majorats - Bibliothek




MÖCKERN  
gehörig.

N<sup>o</sup> 564

5  
W-011e





*Matthæi Dresseri*

ORATIONES  
ANNIVERSA-  
RIÆ TRES, DE PRIN-  
cipibus Electoribus  
Saxonix:

*Vna de Mauritio, quæ bellum ad Pestum in  
Vngaria anno 4.2. contra Turcas gestum, & ex-  
peditionem, quæ hoc tempore contra eosdem  
suscepta est, exponit.*

*Altera de Augusto, quæ de commodo pacis,  
quæ anno 55. religioni data est, disserit.*

*Tertia de Christiano, quæ titulos principum  
Saxonix, & statum religionis ac politix, quæ  
sub eo fuit, enarrat.*


Habitæ in Academia Li-  
psensi, anno 1594.



VVITEBERGÆ

*Excusæ typis M. Simonis Gronenbergij.*

M. D. XCV.



ILLVSTRISSIMIS  
PRINCIPIBUS, AC DO-  
MINIS, DOMINO CHRISTI-  
ANO, Domino IOANNI GEORGIO,  
Domino AVGVSTO Ducibus Saxoniae,  
Landgrauijs Turingiae, Marchionibus Mi-  
sniae, & Burggrauijs Magdepur-  
gi, Dominis suis cle-  
mentissimis.

**V** Ideo, Illustrissimi Prin-  
cipes, Domini clementis-  
simi, maiorum vestrorum  
imagines summo studio, maxi-  
misque impensis ornari. Et est  
profecto pietas Deo grata, ac  
parentibus debita, tota mente  
in eam curam incumbere, ut be-  
ne meritorum principum ne po-  
steritas quidem omnium secu-  
lorum immemor esse possit. Cer-  
tum est enim in tenebris jacere

A 2 omnia

EPISTOLA

omnia, quæ literarum & monumentorum lumine non acceduntur. Quamobrem predicandum est veris laudibus omnem studium, quod in maiorum vestrorum monumentis, atque e-logiis collocatur: Patris scilicet Christiani, avi Augusti, patrum Mauritiij, & proavi Henrici: quorum sepulchra Fribergæ in summo templo, è vivo marmore, non aliunde importato, sed in hoc solo nato, ingeniosè, affabrè, splendideque extructa, omnes posteros de ipsorum animi magnitudine, virtute, & meritis admonere poterunt.

Sed præter monumenta illa præ-



DEDICATORIA.

præclara, quæ artificis manu  
singuntur, & sub aspectu ponun-  
tur, orationis etiam facultate,  
literarumque luce opus est: ut  
non tam oculi quam mentes i-  
psa monumentorum splendore in-  
cendantur, & ad gratam re-  
cordationem celebrationemque  
inuitentur. Ea enim vis orati-  
onis est, ut animos audienti-  
um ad præteritorum memori-  
am reuocet, & consilia facta quæ  
omnia sic illustret, ut à cunctis  
cognosci queant.

Profiteor autem, me non  
minus quam alios quoscunque  
in hac Academia, hanc grati-  
am pijs maiorum vestrorum ma-

A 3 nibus

EPISTOLA

nibus debere, ut beneficia illorum maxima in Ecclesiam & Rempub. Christianam, sermone & literis, quantum facultas mea exigua, & professio historica fert, celebrem. Cum ergo more institutoque Academia, jussu verò Rectoris, anniuersaria memoria trium Principum Electorum Saxonie, Mauritij, Augusti, & Christiani recolenda mihi, superiori anno 94, in templo Paulino esset: operam, quantam potui, dedi, ut eximium memorabileq; aliquod facinus uniuscuiusque illorum enarrerem, eiusque amplitudinem et utilitatem inculcarem, tum ad  
hanc

DEDICATORIA.

hanc tempestatem accommoda-  
rem. Itaque commonefactiones  
graues seriâsque identidem a-  
spersi: ut in quos turbines pro-  
cellâsque Reipub. Christiana de-  
uenerimus, intelligi posset. Quæ  
cum ad vestras Excelsitates ma-  
ximè pertineant: apparere et-  
iam orationes illas in nomine  
vestro volui: ut & morem Aca-  
demia huius in conseruâda me-  
moriam parentum vestrorum per-  
spiciatis, laudemque eorum o-  
mnem ad vos spectare firmiter  
vobis persuadeatis.

Quod superest, in primis il-  
lustrissimos Principes ac Do-  
minos, Dominum FRIDERI-

A 4

CVM

EPISTOLA

CUM VVILHELMVM, Saxo-  
 niæ Ducem ac Proseptemvirũ,  
 ac Dominum IOANNEM GE-  
 ORGIVM, Brandenburgi Ele-  
 ctorem, vestrũque Tutorem,  
 tum vos etiam, Dominos meos  
 clementissimos, rogo, ut hoc me-  
 um factum mitiorẽ in partem  
 interpretemini. DEVM ve-  
 rò, fontem & datorem omnis  
 bonitatis, sapientiæ & felicitatis  
 humanæ, inuoco & oro, ut  
 adolescentiam vestram sic foue-  
 at ac regat, ut in omni discipli-  
 na liberali ac pia erudiãmini,  
 & ad optimos Patriæ atq; Im-  
 perij usus diuinitus instruãmi-  
 ni: Procul verò à cervicibus  
 nostris

DEDICATORIA.

nostris arceat immanissimum  
Turcā, qui ut libertatis omnis  
inimicus est, ita nobiles et prin-  
cipes familias acerrimè odit, &  
extirpat. Quò sanè magis ex-  
timescendum est fatū, quod ur-  
get Germaniam, & in tempo-  
re omnes honestæ rationes expe-  
diendæ salutis quærendæ sunt,  
ne in potestatem tanti Tyran-  
ni veniamus. Lipsiæ Calend.  
Februar. Anno reparatæ salu-  
tis, 1595.

Celsitudinum V.

Subiectissimus

Matthæus Dresserus.



ORATIO  
IN SOLENNI ET AN-  
niuersaria festiuitate Mauritij  
Saxoniae Ducis & Electoris :  
Habita in Academia Lips.  
11. Iul. an. xci iiii.

à  
MATTHÆO DRESSERO.

DE BELLO TVRCICO AD  
Pestum in Vngaria, anno 42. gesto, tum de  
expeditione, quæ hoc tempore con-  
tra Turcam suscepta est.

**R**enouat nobis hæc dies xi. Iulij  
memoriam Mauritij Sax. Du-  
cis & Electoris, quæ propter  
dona & merita ipsius in Rem-  
pub. & Ecclesiam Christianam  
amplissima, sollemnis, & iucunda nobis  
omnibus esse debet. Ita enim vixit Mauri-  
tius, vt magnitudine animi & rerum ge-  
starum totum imperium impleuerit. Ita  
mortuus est, vt triste desiderium authoritatis  
suae nobis & posteris omnibus reliquerit.  
Simulatque enim suspicio, aut periculum a-  
licuius belli increpat, Mauritium Sax. re-  
quirimus, cuius virtute, industria, & au-  
tho-

## ORATIO

thoritate hostis à ceruicibus nostris depelli,  
& pax, tranquillitas, otiumq; conseruari  
possit.

Quis omnium est, qui non hoc tem-  
pore in grauisimo bello aduersus Turcas  
Mauritium ducem deposcat & expetat?  
Quò igitur ægrius eo adtuendam salutem  
propriam & communem caremus: eò fir-  
mior nobis esse debet illius recordatio.

Atque hoc ipso consilio arbitror institu-  
tam esse hanc Solennitatem & memoriam  
Mauritij anniuerfariam, vt quanta bona  
per mortem ipsius immaturam amiserimus,  
perpendamus, & ardentioribus animis atq;  
votis salutem patriæ Deo commendemus.  
Tum petere etiam nos hoc ipso actu decet,  
vt non sinat Deus nobis deesse copiam ali-  
quam Principum fortium & salutarium.  
Mihi quidem, quoniam à Magnifico do-  
mino Rectore partes dicendi in hoc solen-  
ni conuentu datae sunt, curæ fuit magnæ,  
vt orationem afferrem huiusmodi, quæ  
& præfenti necessitati inferuaret, & utili-  
tatem aliquam præcipuam auditoribus af-  
ferret. Verùm in tanta varietate, vt fit, varia  
in mentem venerunt, Modò enim benefici-  
um constitutorum illustrium ludorum in  
hoc Ducatu celebrare animus gestijt: mo-  
dò operam, quam in bello Germanico, &  
obfir



## DE MAVRITIO

obsidione Magdepurgica Carolo V. Cæsari Mauritijs nauauit, commemorare cupiui: modò transactionem Passauiensem hoc ipso auctore efflagitatam & impetratam explicare, in animum induxi.

Verùm tandem, his remotis, ad aliud argumentum præsens bellū Turcicum, quod tanta contentione in Vngaria geritur, me vocauit. Meminimus enim contra eundem hostē Turcam, quo cum hoc tempore conflictatur Imperiū, iam ante annos quinquaginta duos, etiam Ducem Mauritiū depugnasse, & documenta fortitudinis præclara dedisse. Hoc argumentum, quoniam præsentis temporis maximè congruens est, præter cætera delegi, vt belli, quod tunc ab Imperio contra Turcam gestum fuit, cum præsentis bello, quod nunc opibus Imperatoris & Imperij totius geritur, collatio fieri possit. Semel enim ingressi in hanc de bello Turcico cogitationem, causam insistenti iustam adepti videbimur, vt huius etiam belli cura magis afficiamur, & de exitu eius vehementiùs angamur. Vos, magnifice Domine Rector, illustrissime princeps Vrlice, Noruegiæ hæres, Slesuici, & Holfatiæ dux, generosi Barones, Electorales vicarij, Præfecti aulici, Professores ordinarij, Doctores atque Magistri, & adolescentes re-

ctissimi.

## O R A T I O

Etissimis studijs dediti, spero non grauatè me de tanto argumento differentem audituros esse; efficiam profectò, vt non solùm non molesta propter copiam, sed etiam iucunda propter rerum magnitudinem, oratio mea esse videatur.

Postquam Turcorù tyrannus Solymanus anno 21. Belgradum, ianuam & clauem Vngariæ occupârat, & regem ipsum Ludouicû anno 26. in acie deuicerat, spiritus magnos sumebat, & magnitudine rerum gestarû quasi ebrius, in omnes illius regni possessiones atq; fortunas immanissimos oculos spe & mente defigebat. Nec deerat consilijs & conatibus eius successus. Sexies enim ab eo tempore in Vngariam, regnante Ferdinando, venit, & ad centum sexaginta miliaria in isto regno in ditionem potestatemq; suam redegit. Ter quidè exercitus Christianus conatibus eius occurrit, sed cæsus fugatusq; cladem magnam accepit: Semel quidem ad Exechium anno 37. vbi strages Christiani militis tanta est edita, vt expleti satietate sanguinis Turci, cæde omiffa, ad prædam sese totos conuerterint. Iterum ad metropolim regni Budam anno 41, qua frustra oppugnata, amplius viginti Christianorum millia occubuerunt. Tertio ad Pestum anno 42. cum dux noster Mauritius etiam confors & socius dimicationis atq; periculi fuit.

Certatum est tot annis, & quidem summis

## DE MAVRITIO.

viribus de hoc regno, quod Turca partim ob-  
victum à se, & è medio sublatum regem tan-  
quam bello partum sibi vendicavit, partim à  
quibusdam Vngaris ad se delatum appetebat.  
Ferdinandus verò ex fœdere, quod cum Io-  
anne rege Vngarorum fecerat, idem sibi debe-  
ri existimabat. Ita enim cautum erat, vt mor-  
tuo Ioanne, Pannonia potiretur Ferdinandus.  
Inde ergo infelix hoc regnū, quasi pila quæ-  
dam fortunæ extitit, quod ab immanissimis  
Turcis vndique afflictum, direptum, vexatū,  
laceratum, & inflammatum est, nec hætenus  
ex ore ac faucibus eius eripi potuit. Tentatū  
hoc quidem sæpius, & eo ipso etiam anno,  
quem dixi, 42. quo Ferdinandus rex in comi-  
tijs Imperij, quæ Norinbergæ indicta erant,  
à proceribus & ordinibus Imperii ad bellum  
Turcis inferendum triginta millia peditum,  
& septem millia equitum armatorū ex Ger-  
mania impetrauit. Quibus accesserūt Ferdi-  
nandi copiae, ex Austria & Stiria comparatae.  
Ex Austria enim nominatim euocati fuerunt  
quā plurimi: ex Stiria verò & Carinthia, & fi-  
nitimis prouincijs decem millia equitum Vn-  
garico exercitui, qui ad quindecim millia nu-  
mero fuit, sese adiunxerunt. Adiecit ad hunc  
numerum tria millia delectorum peditum  
Paulus III Pontifex. Melitenses verò equites  
pro sua virili parte hanc sacram expeditionē  
Imperij quoq; adiuerunt.

Ducis

## ORATIO

Duces in hoc bello complures fuerunt ; summum quidem imperium Ioachimus Elector Brandepurgicus tenebat , qui iam antè etiam bello Turcico ad Viennam interfuerat. Delecti præterea sunt octo viri ætate prouecti & usu periti, qui Imperatori consilijs adessent. Vngaricas copias ductabat Petrus Perenus nobilis Vngarus, & exercitatus miles. Pontificis verò loco erat Alexander Vitellius, vir impiger & fortis. Danubianæ classis præfectus erat Philippus Tomiellus. Alæ sexcentorum equitum ad Padum conscriptorum Sfortia Palauicinus præerat. His sese sponte & voluntate sua adiunxit Mauritius Sax. Dux, circiter viginti vnias anni iuuenis, ad Christianorum exercitum, tanquam in militiæ disciplinam profectus.

His copijs atque ducibus expeditio hæc suscipiebatur : Sed tardè admodum, & lento gradu procedebat , vt fit plerunque, cum res grauior aut maior gerenda est. Querebantur de hac mora multis modis duces cordati, & veterani milites. Dolebat enim eis bonam partem anni, & quidem maximè opportunam rei gerendæ ita dilabi, & hostium vires interea augeri. Erat enim eo ipso tempore dissipatus rumor de Solymano Buda profecto, & Stephano Verbecio peste

## DE MAVRITIO

peste extinctis. Itaque non tam Pesti  
quàm Budæ expugnationem facilem fore  
plerique existimabant. Tandem lentis iti-  
neribus Ioachimus Brandepurgicus Strigo-  
nium peruenit: Secuti sunt reliqui duces  
ordine, cum tormentis minoribus, falco-  
nibus, & colubrinis ad campestres vsus  
accommodatis. Agmen erat longè specio-  
sissimum, viris & armis præfulgens.

In itinere Vngarico deliberatio diffi-  
cilis incidit, vtrum Budam rectà conten-  
dere expediret, an verò Pestum priùs op-  
pugnare satius esset. Ac cùm diuersa da-  
rentur à ducibus consilia, approbatum tan-  
dem est Ioannis Tarnouij Poloni respon-  
sum, quod dedit, cùm de belli euentu roga-  
tus esset: Vix aliquam victoriam, inqui-  
ens, de Turcis sperandam esse Christianis,  
nisi concordēs sint, & omnes in vnā aci-  
em cogantur. Placuit tamen tandem Pe-  
stum ante omnia oppugnare, quòd & faci-  
lior eius videretur expugnatio, & in eius  
oppugnatione hostium consilia ac vires per-  
spici, & firmioribus animis, minoriq; peri-  
culo postea vrbs Buda oppugnari posset.  
Vicit hæc sententia, quæ maiori parti me-  
lior videbatur, & ad obsidendum Pestum  
recta via proceditur.

Est autem Pestum in plano situm con-  
tra Budam, interlabente Danubio, distantq;

B Buda,

## O R A T I O

Buda, Alba regalis, & Strigonium paribus ferè interuallis, sic vt trianguli figuram viginti miliaria complectentem efficiant. In obsidione, vt fit, ad manus atque ad pugnam sæpius cum hoste venit. In primis Vitellius, causa explorandi loci ad statuenda tormenta cum cohortibus tribus, & turmis duabus egressus, cum nemo hostium adhuc conspiceretur, subito à Turcis ex vrbe erumpentibus circumdatur. Fit prælium acre, in quo complures cæsi, nonnulli vulnerati sunt, sed plus tamen incommodi acceperunt Christiani, quàm Turci. Hoc ergo damnum vindicaturus Vitellius, iterum suos educit, sed circumfusus hostium multitudine pedem refert. Elati ergo hoc successu hostes, magna vi atque impetu Christianos lacessunt & urgent. Quod conspicatus Perenus hostem cum suis valida manu aggreditur, & fugienti reditum in urbem intercludit.

Perenum cum Germanis & Vngaris consequitur Mauritius Saxo, & in prælio circumfusus ab hostibus, equo deiecit, ac in terram prosternitur. Iacet humi fortissimus princeps, iacentem verò turba & colluio barbarorum premit, urget & cædem vultu & manu minitatur. Præstò est vnicus administer, ac fatelles corporis Bartolemaeus Ribischius nobilis Turingus, quem

## DE MAVRITIO.

quem Βασιλευς Den Schnaurer populares nominârunt. Is, vt è faucibus Turcorum eripiat principem suum, in discrimen apertum vitæ sele conijcit, corpore suo domini corpus tegens, & ictus hostiles excipiens, ne ad principem penetrare queant. Dum hoc modo impetum Turcorum sustinet, equites Mauritiani aduolant, Turcos dissipant, & subleuatum Dominum suum furorî hostium subtrahunt. Satelles verò Ribischi- us acceptis vulneribus multis in castra relatus est, nec multò post animâ efflauit. Turci autem virtute Christianorû militum terri- ti, & spe conatuq; depulsi in fugam se conijciunt. Ac propter præcipitem cursum partim suorum hastis confixi, partim in flu- men acti sunt. Compertum est, eo die supra ducentos Ianizaros, & trecentos alios pe- rijsse.

Addidit animos Christianis hæc victo- ria, effecitque, vt admouere propiùs tor- menta, & concutere murum cœperint. Hic quadraginta maioribus tormentis assiduè verberatus tandem corruit, & aditum ad inuadendam urbem Christianis patefecit. Mox ergo Vitellius cum suis Italis irrupit. Hunc secuti Germani & Vngari, & reliquî contento cursu per ruinas in murum pene- trant. Silent Turci, nec priùs arma expedi- unt, quàm Christiani vexilla defixerunt,

ORATIO

tum demum vim sagittarum & glandium  
 expromunt, Christianos de conatu depel-  
 lunt, & eorum septingentos trucidant, plu-  
 res verò vulnerant. Hac clade non parùm  
 conterriti Christiani concilium conuocant,  
 & vtrum persequi inceptam oppugnatio-  
 nem, an verò desistere, & exercitum redu-  
 cere satius sit, deliberant. Prolatæ sunt  
 causæ complures, quæ reditum in Au-  
 striam suadere videbantur. Vna erat hyemis  
 appropinquatio, altera morbus epidemius,  
 quo multi extinguebantur. Accedebat me-  
 tus non paruus à nouis copijs Turcorum,  
 quæ aduenire ex Thracia dicebantur. Tum  
 difficilis etiam & periculosa erat vrbs ex-  
 pugnatio. Itaque omisso diuturniore bello,  
 exercitum in Austriam reducendum esse  
 statuerunt. Etsi autem fugam dissimulan-  
 tes, tanquam certamen instauraturi, tor-  
 mentis iterum moenia quatunt: tamen in  
 fuga à barbaris laceffuntur. Quocirca equi-  
 tes amplius quingenti cum illis congrega-  
 untur, & multi ex vtraque parte concidunt  
 ac sauciantur. Sed nocte sequente tormenta  
 & copiæ omnes abscedunt. Insequuntur ite-  
 rum barbari, & Christianos à tergo carpunt,  
 adeoq; premunt, vt conuersi eos depellere  
 cogantur. Acris ergo exardescit pugna,  
 quæ in multam noctem prorogatur, in  
 qua Christiani fugientes Turcas ad portas  
 vsque



## DE MAVRITIO

vsque insequuntur. Inde nonnihil compres-  
sus furor hostium, Christianis facultatem  
discedendi dedit. In ægros verò, qui ad dis-  
cedendum minùs expediti erant, immani-  
ter sæuiunt barbari, eorumq; fermè septin-  
gentos obtruncant.

Hic finis, hic exitus fuit expeditionis  
Christianorum aduersus Turcas, recupe-  
randæ Budæ caussa susceptæ, infelix qui-  
dem satis & tristis. Irritus enim fuit cona-  
tus, & militum iactura tanta est facta, vt  
penè dimidia pars fuerit desiderata. La-  
borârunt quidem strenuè Vngari, non o-  
peræ pepercerunt Germani, non segnes fu-  
erunt Itali, & reliqui, sed defuit successus.  
Memorabilis verò est in primis Mauritij  
Sax. virtus, qui documenta Ducis magna-  
nimi & fortis tunc dedit, & Turcis terrori  
esse cœpit. Quòd si diuinitus adiuta esset hu-  
ius ducis, & reliquorum Christianorum in-  
dustria, frangi ac debilitari hostis trucu-  
lentissimus potuisset.

At vrgebant fata Vngariam, & pœ-  
nam etiam minitabatur Deus Germaniæ.  
Iccirco vinci patiebatur Christianos, vince-  
re verò sinebat Turcas. Curæ quidem erat  
Ferdinando regi bellum contra Turcas: Sed  
Carolus Cæsar quasi oblitus imperij cum  
Gallo priuatis odijs decertabat, & sua re-  
gna augere, quàm imperium tueri aut am-

## ORATIO

pliare malebat. Rex verò Gallorum Franciscus I. Polinum legatum ad Solymannum Turcorum Tyrannum misit, & opem adversus Carolum Imperatorem petijt. Erat in ipso etiam imperio mala inter Pontificios & Evangelicos gratia. Et penè magis optabant pontificij Evangelicorum, quam Turcorum interneccionem. Id quod bellum sequens in Germaniæ visceribus gestum declaravit. Ita scilicet placuit Deo, metu externorum & internorum hostium Christianos exercere, & ad cultum veræ pietatis atque modestiæ inflammare. Præviderat Martinus Lutherus pater sanctus hunc infelicem expeditionis exitum. Ideoque epistolâ scripsit ad Electorem Brandepurgicum, in qua conqueritur, suas preces pro salute Germaniæ conceptas propter tres causas languidiore fieri: propter furorè Pontificiorum: propter impiam securitatem Evangelicorum: & propter laxatam disciplinam militarem. Quæ tres causæ, præsertim verò posteriores duæ adhuc Deum vehementer offendunt, & sævitiam Turcorum in nos cumulant.

Sequente, hoc est, quadragésimo tertio anno, Solymanus Turcorum Tyrannus iterum in Pannoniam copias ingentes duxit,

## DE MAVRITIO

duxit, & primùm Valponium vel VValpam oppidum, non procul ab Exechio expugnauit. Inde Soclos oppugnauit, cuius quidem oppidi incolæ, cùm vim Turcorum fortiter aliquandiu propulsâssent: tandem fracti arbitrio Tyranni sese dediderunt, & porta egressi, ad vnum omnes interfecti sunt. Hinc progressus Strigonium summa vi adortus est: Sed clade magna ibi accepta, tandem per prodicionem cuiusdam Calabri illud cepit. Urbem verò ingredi prius noluit, quàm expiatum templum, ceremonijs ac ritibus Turcicis initiatum esset. A capto Strigonio, ad Albam regalem contendit cum exercitu, eamque tanto conatu oppugnauit, vt sustinere molem diutius oppidani non possent. Itaque dedita est vrbs, postquam milites, qui in præsidijs erant, vitam, libertatem, & incolumitatem impetrâssent. Nec compertum est, exeuntibus militibus tunc quicquam à Turcis ademtum esse, præter Sclopeta parua, quæ de ephippijs suspensa gestant germani equites. Talia enim nondum viderant Turci. Mirabantur igitur artificium nouæ machinæ, & nimia cupiditate illius incensâ Germanis auferebant.

## ORATIO

Defessa iam penè erat vtraque pars laboribus diuturni belli. Itaque pax à Ferdinando petita certis conditionibus à Solymano ad aliquot annos concedebatur. Toties enim iter ex Thracia Solymanus fecerat, Ferdinandus verò maiorem & florentiorem partem Vngariæ amiserat, & infeliciter, quicquid contra Turcas moliebatur, eueniebat, Solymanus autem pactas inducias sæpiùs violauit, donec capto Fileco, castro in Vngaria munitissimo, eas cõfirmavit. Hoc modo tributarius Turcici Imperatoris factus Ferdinandus, quotannis quadraginta quinque millia Ioachimicorum, præter honoraria, singulis penè Bassis offerenda, quæ singulatim recensentur in itinerario Davidis Vngnadi, quod in manibus est, ad portam Othomannicam per legatos suos deinceps misit, & pacem, quoad in vita remansit, pecunia redemit.

Post eum verò, imperante Maximiliano II, Solymanus supremo vitæ suæ tempore, vltimum suum furorem effundere in Christianos cupiens, exercitum ingentem iterum in Pannoniam duxit, & Sigetum circumfedit. Comparatæ sunt contra eum copiæ magnæ ab imperio, & in Vngariã missæ, imperatore Maximiliano II, anno Christi Lxvi. Sed irritus fuit omnis Christianorũ conatus. Expugnatum est à Turcis Sigetum, &

## DE MAVRITIO

& capta Iula. Ac nisi fatali calamitate, vel diuinitus potius in castris extinctus esset Solymanus, damni plurimum rebus Christianorum dedisset. Ab eo tempore Turci in oriente Persas afflixerunt, & bonam partem regni eis ademerunt, Cyprum Venetis abstulerunt, Africam Hispanis eripuerunt. In Croatia oppidum & arcem VVihitzsch, quæ annis 150 propugnaculum aduersus Turcos in eo tractu fuit, anno XCII, per Hazam Bassam Bosnensem in potestatem suam redegerunt. Quin Sissekium etiam manu validissima oppugnârunt, sed expugnare tunc nequiuerunt: fortiter scilicet illud defendentibus, Nicolao Miccacio præfecto, & præsidiarijs militibus. Sequenti verò anno 93. idem Bassa cum Sangiacbegis suis nouem, Treschinum Episcopi Zagrabiensis castellum vi cepit, & ad oppugnationem Sissekij reuersus multò maiori conatu, quàm antè, illud inuasit.

Induit hæc immanis ferocia Turcorum Christianis militibus iusta arma, Slavoniae Bano, Auersbergio, Ekenbergero, & Redero Baroni Silesio, vt quamuis numero & viribus hosti minimè pares essent: tamen Sissekium in summas angustias adductum subleuare in animum inducerent. Igitur celeri cursu ad hostes contenderunt, eosque ad Colapim fluum adorti sic compresserunt,

## ORATIO

compreſſerunt, vt aut gladio Chriſtiano-  
rum cadendum, aut in flumine pereundum  
ſibi proſpicerent. Maluerunt ergo in flu-  
mine mergi, quàm in Chriſtianorum manus  
venire. Vidiffes infano proſus impetu Tur-  
cos præcipitari, & in aquis magno numero  
ſuffocari. In quibus etiam Baſſa ipſe Ha-  
zan erat, & Sinanbegus ſororis Turcici  
Imperatoris filius. Vindiſta hæc erat diui-  
na proſus. Eò enim iam progreſſa erat  
Turcorum audacia & furor, vt quatuor  
milia Chriſtianorum in ſeruitutem horribi-  
lem adduxerint, & in Croatia ampliùs mil-  
liaria quadraginta occupârint: tum ponte  
trans Colapim conſtructo, inuadere in Car-  
niolam, Stiriam, Carinthiam, & Austriam  
denique ipſam cogitauerint.

Nihilominùs ſuſceptum bellum con-  
tinuaturus, & cladem ignominiamque in  
Colapi à Chriſtianiſ acceptam vindicatu-  
rus Turca, minis & barbaro terrore vim  
apertã Rudolpho II imperatori denunciât,  
ducẽſque cùm alios, tum Sinam Baſſam  
Veſirium, & Græciæ Beglerbegum in Vn-  
gariam contra Chriſtianos mittit. Hi Siſ-  
ſekium primùm adorti ceperunt, & ſæuici-  
am horrendam exercuerunt, præſidiarios  
milites

## DE MAVRITIO

milites omnes concisos in Colapim fluuium proiecerunt, & circiter quinque mille hominum abduxerunt. Inde ad Vesprimium castra posuerunt, eoque in potestatem suam redacto, Palotam circumfederunt, & praefidarijs incolumitatem, si se dederent, promiserunt. Sed postea deditos, & miliare vnum progressos omnes trucidarunt.

Nihil hic erat morae, celeri cursu & contentione summa opem à Cæsare Rudolpho proceres regni petunt; ac si deserantur, actum de se & salute omni esse demonstrant. Interim nihilominus Vngari molem belli sustinent, & arces, Zabatha, Tilekinum, & alias, Duce Stephano de Bathor, Sigismundo Rakozio, Francisco Dobo, & Stephano Homannai capiunt, vexilla in turribus figunt, tantaque animi magnitudine ac virtute rem agunt, vt à Cassouensi Capitaneo aurati milites omnes nominati sint.

Accidit autem diuinitus, credo, vt Sinam Bassa de medio furore ad comprimendum Georgianos & Persas res nouas molientes auocaretur. Itaque Christiani  
duces

## ORATIO

duces ac milites accepto è Stiria, Carinthia, Austria, Boëmia præsidio, in Turcas magno & infracto animo eunt. In primis verò Tiffenbadius, generosus ac felix bel-lator Filecū cū multis alijs castellis, magna vi oppugnarum capit, & ad spem bonā Christianorum animos erigit. Egregium facinus, & prædicatione nostra & posteritatis dignum. Tribuat illi Deus præmia, & præbeat in reliquum etiā tempus successum & victoriam. Inde accedunt Duces Christiani ad obsidendam Albam regalem, & suburbium vnum capiunt, sed potiri vrbe haud queunt. Iccirco oppugnatione omissa, in discessu in agmen militum incidunt, quod Burdensis Bassa ad defendendam Albam ducebat. Cum eo igitur configunt Christiani, & duce Deo, comite virtute, exercitum totum cædunt & profligant. Interim Imperator Rom. sedulò dat operam, missis ad omnes principes Imperij, & externos, legatis, vt communibus imperij impensis exercitus contra Turcas alatur. Quod etiam impetratum est, missis à singulis penè principibus haud contemnendis auxilijs. Et nunc in conuentu imperiali absque dubio nerui maiores ac stabiliiores contra eundem hostem decernentur.

In Vngaria verò non cessarunt milites Christiani circūsidere & occupare quæcunque



## DE M AVRITIO.

cunque per Deum ac fortunam hætenus licuit. Recuperârunt post Filecum firmissimum castellum Nouigrodum, duce Matithia Austrio. Prælia verò complura fuerunt commissa, quibus Turcicarum copiarum flos, & multitudo magna interiit. Et nunc in expugnando Strigonio & Hatuan toti sunt occupati Christiani. Ac Strigonij quidè expugnatio iam antè anno 43. perdifficilis fuit, nunc autem absque dubio difficilior multò est, propter munitiones, quæ post illud tempus ex omni parte accesserunt.

Vidimus, ex omnibus partibus Germaniæ equites & pedites magno numero tanquam ad sacrum bellum communibus viribus Christianorum gerendum proficisci. Attingit enim hoc incendium nostros fines, & perleui momento hostis irruere in penetralia & viscera Imperij potest. Itaque decet nos non minùs de hoc incendio extinguendo sollicitos esse, quàm de conseruanda vita, religione, libertate, & fortunis omnibus. Etsi enim in acie collocati non sumus: tamen precibus & votis pijs non minùs pugnare contra communem illum hostem debemus, quàm milites ipsi, qui molem belli sustinent. Ac bene quidem sese dederunt initia huius expeditionis, pro quibus gratias meritò & iure omni Deo agimus. Contrà verò detrimenta non parua  
à Tur-

## ORATIO

à Turcis accepimus. Amissum est VVihizium: ereptum Sissekium, abducta tot hominum millia, tot millia Christianorum caesi. Tentata est à Christianis expugnatio Albæ regalis, sed irritò conatu. Oppugnatum est Strigonium, sed non expugnatum. Præ se ferunt Vngari in vrbibus & oppidis, quæ sub Turca hætenus fuerunt, benevolentiam & fidem erga Christianos. Sed simul ac auctæ fuerint in Vngaria Turcorum opes, facile à Christianis ad Turcas deficere cogentur. Optamus summis votis, vt multa oppida & arces recuperent Christiani, eaque ex immanissimorum barbarorum faucibus eripiant. At recuperata, si Deo ita fortè visum fuerit, quibus opibus ac præfidijs tuebimur? In promptu est, inquires, imperij auxilium. At quàm lentum illud & tardum? Antequam ex imperio in Vngariam veniunt instructi milites, Turca maximam partem Vngariæ populabitur, & in ditionem suam rediget.

Vidimus quàm lentis itineribus hi, qui à nobis profecti sunt, in Vngariam peruenerint, & postquam in terram hostilem penetrârunt, quid effecerint, aut nauauerint, nondum audimus. Res est periculi plenissima. Turci spem in celeritate, nos in tarditate positam habemus. Turci vigilant,

## DE MAVRITIO

lant, nos stertimus. Turci sunt sobrij, nos voluptates & earum instrumenta quærimus. Turci religiosi sunt & sanctè viuunt: nos nomine Dei nostri tam de nobis meriti sceleratè abutimur, & per vulnera Sacramentaque Domini & Saluatoris nostri Iesu Christi horribili ausu, alius alium execramur. Turci frugales sunt, nos luxu corpus & fortunas minuimus. Turci suis ritibus & vestibus contenti, externas illecebras magno animo contemnunt: nos nouitate vestium, ciborum, & morum delectamur, ac Deum mirabiliter offendimus: Securi sumus, & plerique, vel minima quidem ex parte, bellum Turcicum ad nos pertinere arbitramur. Quodque caput est Turcus, Draconi similis est, cui vnum caput, caudæ plures sunt: Christiani verò, Draconi multorum capitum, sed vnus caudæ, similes esse videntur, quemadmodum Solymanus Turcorum Imperator dixit.

Hæc ego præfagia magna esse, iudico, impendentis pœnæ grauissimæ, nec video, quæ gente alia Deus vsurus sit, ad coërcendam nostram superbiam & luxuriam, quàm Turcica. Extant quidem vaticinia, cum alia, tum etiam Antonij Torquati Ferrariensis astrologi,

## ORATIO

logi, quibus Turcici regni interitus prædicitur. Extant enim vaticinia de conuersione Turcorum ad fidem Christianam. Sed plus multò apud me valet vaticinium Danielis Prophetæ, quo grassaturum esse Turcam vsque ad Christi iudicis aduentum significat. Idè sentit D. Lutherus & Melanchthon, qui Hiltenij etiam Isenacensis monachi prædictionem non contemnendam esse putarunt, fore scilicet, vt anno millesimo sexcentesimo Christi, Turca per totam Europam dominetur. Quod sic tamen intelligendum esse existimo, Turcam esse afflicturum Christianos grauitè in bona magnaque parte Europæ, sed imperio Rom. non esse potiturum.

Quòd si caussas remoueremus pœnarum, crederem etiam pœnas remoueri aut mitigari posse. Sed quia in diem viuimus, & peccata peccatis sine pœnitentia cumulamus, facilè intelligimus omnes, pœnam diu abfuturam non esse. Sed spero tamen priùs me ex hac turba & colluione discessurum esse, quàm Turcica barbaries Germaniam obruat. Interimus iam, quod exedere oportebit liberos & posteros nostros. Confido interim Deum suis Christianis puerillum laxamenti daturum esse in Vngaria, dum Persico & Georgiano bello implicatus Turca, minùs effundere furorem suum omnem

## DE MAVRITIO

innem in nos potest : & dum exercitus Christianus ei oppositus est, in quo aliquid roboris reperitur : simulac verò is copias suas & opes omnes ad nostrum periculum conuertere cœperit, horribilis laniena & ingens vastitas fiet.

Hæc sunt, magnifice Domine Rector, illustrissime princeps, generosi Barones, Electorales vicarij, Aulici præfecti, professores ordinarij, Doctores, Magistri, & studiosi carissimi, quæ in hac solenni, & anniuersaria festiuitate Mauritij Saxoniae Ducis & Electoris nos meditari, & cum animis nostris considerare diligenter decet. Nauauit operam bonam in bello Turcico Mauritius Saxo, nauauit ante eum Matthias Vngarorum Rex, qui Baiazerem eximia fortitudine ab Vngaria repulit, & in eas angustias adduxit, vt de pace legatos miserit. Nauauit Vladislaus, Ludouicus, Ferdinandus; & post eum Maximilianus I I; sed defuit ad conficiendum bellum fortuna, quam diuinitus adiungi necesse est. Nunc quædam ad meliorem spem inclinatio hoc imperatore Rudolpho I I ostenditur, qualis visa & cognita non est, inde vsque ab Ioanne Huniade, qui fortissimè pro patria dimicauit, gloriosis victorijs regnum impleuit, & terrorem magnum Turcis iniecit.

C

cit.

ORATIO

cit. Sed anno Christi 1456 mortuus est. Quòd si fatum adfert, vel diuina potiùs voluntas fert, vt potentia Turcorum, qui haftenus floruerunt, & nimis insolenter sese extulerunt, in Vngaria diminuatur, aut infirmetur: fatebimur lanè nos diuino beneficio præter omne meritum nostrum affici, Deùmque rogabimus, vt Duces Huniadi & MAVRITIO Sax. similes nobis largiatur, quorum virtute hostium ferocia comprimatur, & pax optata in orbe Christiano recuperetur. Perleui momento fortunæ inclinationes magnæ in bello fieri solent. Non igitur vllò tempore vota facere desinamus, vt Deus læta initia belli contra barbaros nouis accessionibus augeat, & vires hostium ita frangat, vt sæuire deinceps in Christianos, quemadmodum ad hunc vsque diem fecerunt, minùs possint. Ingens est multitudo gentis Turcicæ, vt si cum Christianis conferatur, numero eam facile vincat. Sed non modò non impossibile, sed ne arduum quidem & difficile est Deo, iuuare eos, qui minus habent virum et roboris, quales nos sumus. Fuit etiam omnibus ætatibus exiguus numerus eorù, qui Deum verè inuocârunt & coluerunt in mundo: & propter paucos tamen illos pepercit Deus Christianorum cœtui, Quare  
ne

*DE MAVRITIO.*

ne nunc quidem diffidere debemus, quin paucorum preces respecturus & exauditurus sit Deus, & poenam iustam meritamque vel mitigaturus, vel retardaturus, donec ad liberandum nos ab omni malo venerit Dominus noster Iesus Christus, cui sit gratia, honos, & gloria infinitis seculis.

C ; DE



DE PACE, QVÆ RE-  
ligioni data est, anno 1555.

ORATIO

HABITA IN DIE ANNIVER-  
sario mortis Augusti, Saxoniae Ducis  
& Electoris, anno XCIIII  
Lipsiae.



Nniuersarius hic est dies vn-  
decimus Februarij, quo ante  
annos octo à capite nostro  
ablatus est inclytus Saxoniae  
Dux Augustus, S. R. I. Archi-  
marschallus & Septemvir. Cuius quidem  
memoria, & recordatio cum nobis grata  
iucundaque esse debeat: magnifici nostri  
Reſtoris iuſſu ſurrexi, non electus vnus,  
qui maximo ingenio dicere poſſit, ſed ex-  
cerptus ex omnibus, cui hiſtoria Saxonica  
propter profeſſionem debeat eſſe notiſſi-  
ma. Fateor autem, vtrumque quidem iu-  
ſtum eſſe, vt & Auguſti, à quo ad munus  
docendi in hoc ducatu vocatus ſum, in nos  
merita, oratione graui & memori celebrem,  
& dicto audiens ſim Reſtoris, cum quo mi-  
hi neceſſitudo ſingularis eſt. Sed quæ fa-  
cultus, aut quod orationis flumen poteſt  
eſſe tantum, vt magnitudinem animi, vir-  
tu-



DE AVGVSTO.

tutis, sapientiæ, & in gerendis rebus felicitatis in hoc Principe possit exponere? Equidem cum res atque promerita eius ex alto repetere instituo, tantum cumulum illorum reperio, ut neque complecti illa orando, neque percensere numerando possim. Nec verò libet in hoc amplissimo campo ita vagari, ut liberè quasi fluere videatur oratio, & dum omnia persequi coner, nulli parti satisfaciam. Satius esse arbitror multò, ex tanta copia & varietate, in qua possit exultare oratio, particulam duntaxat aliquam excerpere, eamque, quoad angustia temporis capit, explicare. Talem particulam historiæ Augusti esse iudico pacem, quæ anno quinquagesimo quinto supra millesimum quingentesimum religioni data est. De hac igitur dicere instituam, ut quanto labore constiterit, quantumque vim & utilitatem habeat, paulò attentius consideremus. Ut autem ordine procedat oratio, hos fines terminosque mihi constituam, ut primùm de causa efficiente, deinde de forma, tum de effectu huius pacis dicam, & quatenus hæc omnia ad AVGVSTVM nostrum pertineant, demonstrarem. Ita enim animo prospicere iam antè unusquisque potest, quibus de rebus auditurus sit. Deum oro,

## ORATIO

vt benignitate sua immensa orationem meam prouehat. A vobis verò; magnifice Domine Rector, viriq; literatissimi, peto, vt me benignè audiatis. Studiosos vtiq; spero libenter, quæ dicam, percepturos esse, eaq; penitus animis & mentibus suis mandaturos.

Dulce in primis est nomen pacis, res verò ipsa salutaris, inquit Cicero. Quare nobis etiam non nomen tantum huius pacis, quæ religioni data est, iucundum esse semper debet, sed res ipsa etiam tanquam præcipuus imperij thesaurus, maximæ curæ. Cum autem pacem confectam esse inter Pontificios & Euangelicos audimus, bellum fuisse vel antecessisse intelligimus. At quod bellum? Annis viginti quinque antè meditatam & præparatam. Id quod indicant voces & comminationes crebræ, quibus non obscure effectus, qui secutus est, significabatur. Tot enim annis dilata est executio decretorum, quæ aduersus Euangelicos, compluribus imperij conuentibus facta erant. Hoc tanto temporis spatio, vt dicam quod res est, Cæsar Carolus pacis magis quàm belli intestini studiosus, omnes vias persecutus est, quibus dissidium acere inter Pontificios & Euangelicos

gelis

DE AVGVSTO.

gelicos componi posset. Itaque congressus & colloquia multa, de religionis doctrina passim in frequentibus imperij urbibus instituit, quibus dissidentes partes in consensum concordiamque adduci posse speravit. Sed frustra susceptus est omnis labor, penitusq; spes compositionis evanuit. Non enim propositum fuit Pontificijs, ut æquitate & moderatione lis dirimeretur, & veritati locus aliquis relinqueretur, sed ut vi & imprefione Evangelij lux, quæ in Germania affulserat, deleteretur. Impulerunt optimum Cæsarem statim anno vicefimo primo, cum vix habenas imperij suscepisset, ut decreto publico tam Lutherum, quam eos omnes, qui quocunque modo ei vel fauerent, vel commodarent, proscriberet. Quod præiudicium satis graue & durū fuit, præfertim in eos, qui nulla ignominia affecti, nullo iudicio conuicti erant. Quid enim aliud erat, Lutherum & cum eo sentientes proscribere, quam omnes Evangelicos damnare, & vim opprefionemq; illis minari? Hanc enim esse proscriptionis effectum nemo ignorat. Hinc cum in tanto periculo sese versari intelligerent principes & ciuitates Euangelium profitentes, societates ac fœdera quærebant, quibus muniti vim illatam vi repellere possent.

## ORATIO

Accesserunt non ita multò pòst alià decreta Pontificiorum impulsu, quibus prægrauabantur Euangelici, donec anno **x x i x** in Spirensi conuentu, protestandi causam iustam nacti, protestationis formulam ediderunt, ex qua protestantium nomen est natum. Certum est, eodem anno Pontificem in Bononiensi congressu atque colloquio cum Cæsare, non concilium, sed bellum ad euertendos Lutheranos efflagitasse. Sic enim Doctor Eccius apertè dixit: Si Cæsar consilio Pontificis Bononiæ dato, obsecutus esset, & gladio in Lutheranos animaduertisset, salua res esset: simulac verò Electorem Sax. audiuit, magis laborare cœpimus. Quid in conuentu Augustano magno & toto orbe diulgato accidit? An non, decreto facto, postulauit Cæsar, vt Saxo & reliqui Euangelici eadem dogmata cum Pontifice, & vniuersa orbe Christiano profiterentur? Nónne faces & authores seditionis atque rebellionis rusticorum in bona parte Germaniæ in eodem conuentu Lutherani insimulati sunt? Nónne minas addidit Cæsar, se, nisi decreto tunc facto parerent Lutherani, eas rationes cum Pontifice reliquisque principibus & Ordinibus initurum esse, vt secta

Lul.

DE AVGVSTO.

Lutherana exterminaretur, & pax Germaniæ conciliaretur, religio vetus conseruaretur, & integri esset Ecclesiastici ritus? Hic quamuis intercesserint Euangelici, & pacem omnibus precibus flagitarint; tamen incerti dubique dimissi sunt. Idcirco fœdus Smalcaldicum fecerunt, non quidem rebellionis, sed suæ defensionis causa, si fortè vis inferretur.

Vix tandem, anno x x x i i. impetrari potuit, vt pacem Cæsar Germaniæ daret Norinbergæ, quod tamen impetratum non fuisset, nisi summa vrisset necessitas, scilicet præsidia parandi ex Germania ad repellendū Turcam. Pulcerrima hæc erat pacis formula, vt ne Religionis causa actio vlla intentaretur in protestantes, nec molestia aliqua cuiquam religionis causa crearetur, tantisper donec per imperij Ordines aliud statueretur. Etsi autem speciosa hæc pacis formula fuit: tamen fiducia pacis nulla fuit. Non enim quiescendum sibi esse existimabant Pontificij, priusquam id, quod animo concupiebant, perfecissent, & in sanguine Lutheranorum totum cubitum tinxissent, quemadmodum in concione quadam Monachus dixit. Cæsar verò, nescio, quam ob rem Ioanni Sax. Duci & Ele-

## ORATIO

tori feuda siue prouinciarū insignia prorsus denegauit.

Itaque anno xxxviii foedus sanctum inter se fecerunt Euangelici, quo cautum est, vt si religionis pontificiae causa, quam catholicam appellant, vlla fieret cuiquam molestia, in promptu auxilium esset. Anno xl palam tanquam probrū obiecta est Euangelicis inconstantia in religione, quasi ab ea ipsa confessione, quam Augustae exhibuerunt, discessissent, nec certi quicquam, quod sequerentur, haberent, adeoque Turcis ipsis deteriores viderentur. Hæc enim & alia multa huiusmodi in Oratione Farnesij legati pontificis continebantur. Etsi autem pacem voce & literis semper petebant protestantes, & obedientiam Cæsari promittebant, modò Euangelij professionem haberent liberam: tamen rumores belli identidem increbrescebāt, donec tandem anno 46 Cæsar bellum apertè minaretur his, qui decretis de religione obtemperare non vellent. Erant iam factæ induciæ cum Gallo & Turca, vt maioribus viribus bellum aduersus Lutheranos geri posset. Itaque scripto publico Saxonem & Landgrauium proscribit Cæsar, tanquam perfidos, rebelles, seditiosos, læsæ maiestatis reos, & communis otij perturbatores, edicitque

DE AVGVSTO.

citque, ne quis sese cum illis coniungat, aut opem ferat, fidemque & iusiurandum remittit omnibus, qui eis deuincti sint, Non obtemperantibus verò eandem pœnam cum ipsis proscriptis minatur.

Protestantes, cognita tanta seueritate, bellum & ipsi denunciant Cæsari. Hinc bellum intestinum & funestum oritur, & ab vtraque parte auxilia accersuntur. Cæsar quidem à pontifice accipit perditum millia decem, equites quingentos. Erátque ductor copiarum pontificis Farnesius, qui ex Italia discedens hanc immanem vocem edidisse dicitur: tantam se daturum esse stragem per Germaniam, vt in Lutheranorum cruore vel equus ipsius natare posset. Audita erat iam antè Franciscani cuiusdam Monachi Itali concio, quam VVormaciæ ad Cæsarem habuerat: Tēpus, ait, est potentis. Cæsar, vt curæ tuæ tandē aliquando euigilent, cessatū est nimis diu, factō nunc peropus est. Ornauit te Deus donis præclarissimis, & Ecclesiæ suæ defensorem constituit. Iccirco exere vires tuas, & tolle è medio hoc pestiferum genus hominum, quod diutiùs intueri solem, fas non est. Confundit enim & polluit omnia. Et si moram interponis, periclitari quotidie multa hominum millia de sua salute necesse est. Ita ergo exarsit bellum, non quidem

## ORATIO

dem Religionis nomine, sed rebellionis specie, quasi in ordinem redigi necesse esset principes rebelles, & restitui leges, disciplinam, aliâque commoda & ornamenta imperij.

Alliciuntur hoc specioso titulo ad societatem belli, quod gerebat Cæsar contra Saxonem & Landgrauium, etiam Evangelici quidam principes, nihil mali suspicantes, quod confecto tamen bello, non paruo incommodo suo aliter se habere cognouerunt. Victor enim Cæsar Augustæ formulam ex præscripto pontificiorum obtrudebat Evangelicis, quam qui amplecti aut probare recusabant, hi periculum sibi impendere magnum comperiebant. Spes utrinque erat magna. Qui pontificis & Cæsaris partes sequebantur, sperabant, se deleturos esse Euangelium in Germania. Evangelici verò à se defendi oportere religionem opinabantur. Frustrata est utraque pars. Neque enim Cæsariani victores, id, quod cupiebant, Euangelij lucem extinguiebant, neque Evangelici victi cladem aliquam Euangelicæ professionis sentiebant. Deus enim hoc sibi reseruârat, ut Ecclesiæ suæ & verbi custos ac tutor esset. Itaque irritus erat conatus utriusque partis, tam eius, quæ Euangelium delere volebat, quam



## DE AVGVSTO.

quàm alterius, quæ idipsum à se defendi oportere putabat. Sed magis tamen laudandus est conatus protestantium, qui ob Euangelij professionem se suaque omnia obijcere in discrimen non dubitârunt.

Tametsi autem Cæsar post bellum, pontificiæ religionis formulam, quæ Interim appellabatur, acriter vrgebat, & ad subscribendum concilio Tridentino compellere omnes conabatur: tamen mansit Religionis Euangelicæ libertas in imperio, & paulò post multò maior euasit. Cùm enim fraudem pontificiorum indies magis intelligeret Mauritius Sax. Elector, & Augustus frater: non quiescendum sibi esse arbitrabantur, priusquam in tuto religionis Lutheranae professionem collocâssent. Inde expeditionem Mauritius in ipsum Cæsarem suscepit, vt & Landgrauium è vinculis liberaret, & religionis pacem extorqueret. Impetrauit tandem anno 52 Passauij, vbi transactio, quæ Passauiensis dicitur, obtenta est, in qua pax profitentibus Augustanam confessionem perpetua concessa est. Hæc est transactio illa nobilis, & literis monumentisque celebranda. Hæc concilium Tridentinum dissipauit: hæc pacem in religione sanxit: hæc captiuis principibus libertatem reddidit: hæc libro Interim finem attulit. Hæc

## ORATIO

Hæc aurea pax precibus & armis Mauritiij extorta, anno 55 in Conuentu Augustano, postulantibus, instantibus, vrgentibus Augustanæ confessionis principibus, in primis verò Augusto Electore, renouata, declarata, aucta, & confirmata stabilitaque est. Credo, quæ causa huius pacis fuerit, ex hac commemoratione mea breui satis percipi posse: bellum minabantur Pontificij annis viginti quinque. Id cogitatum, paratum, sed compressum tam diu, tandem anno 46 in actum erumperebat, nec post illud libertas in religione vlla obtineri poterat, donec Mauritius & Augustus, ille armis, hic verò consilio & industria pacem obtinuit.

Nunc ipsam pacis formulam cognoscite, quæ confecta est Augustæ Rhetorum in comitijs, supremo ferè tempore Caroli Imperatoris, absente quidem Augusto Electore Sax. cæterisque Saxonie principibus, propter reliqua ex superiori bello pericula: sed per legatos tamen vrgente promissam in transactione Passauiensi pacem. Promulgata verò est 25 Septembris, comprobantibus & ratam habentibus eam Cælare, Rege Ferdinando, Electoribus, principibus, Ordinibusque cæteris. Formula ipsa in quatuor partes, vt mihi quidem videtur, distributa est, quarum vna doctrinam, altera ritus

## DE AVGVSTO.

tus, tertia iurisdictionem, quarta verò bona Ecclesiæ complectitur. Doctrina quidem duplex; vtraque tamen Christiana in hac formula comprehensa est: vna pontificia, quam veterem, quam catholicam appellant, altera Euangelica, quam Lutheranam nominant, cuius capita in Augustana confessione continentur, ea scilicet confessione, quæ anno trigesimo à principibus & ciuitatibus quibusdam est exhibita Cæsari, & recitata in conuentu celebri. Alia enim præter hanc confessionem nulla hoc nomine appellari potest: cum post trigessimum annum nulla confessio Augustæ à principibus exhibita Cæsari, multò minùs in conuentu pronunciata sit. Ab hac igitur quicquid discrepat aut dissentit, id à pace religioni data excluditur.

Cumque dissidium & bellum omne ex mutatione religionis pontificiæ in Lutheranam, in Germaniæ quibusdam Ducatibus, comitatibus, & ciuitatibus ortum esset: nullis etiã alijs religionibus dari pax potuit, quàm his duabus: ea quidem lege & conditione, vt pontificij, qui antè insectati Religionem Euangelicam erant, insectari desisterent, & contrà, Euangelici, qui religionem pontificiam abrogârant, deinceps à tali abrogatione abstinerent, caueretque vtraque pars, ne in suis ducatus,   
terri-

## ORATIO

territorijs, aut dominijs quenquam ad suæ religionis professionem cogat, aut à Religionem, quam profitetur, contra ipsius conscientiam auocet, aut depellat. Tum provideat etiam, ne vim aut molestiam altera alteri propter Religionem inferat aut creet. Ritus item suos ac ceremonias Ecclesiasticas utraque pars retineat.

De iurisdictione verò Ecclesiastica id constitutum est, ut eam Episcopi deinceps in Augustanæ confessionis religionem, ordinationes, ceremoniasque non exercent. Ac si qua controuersia in religione oriatur, non aliter quàm piè, amicè, & pacificè dirimatur: vel si id fieri minùs possit, ad generale vel Nationale concilium, vel ad conuentum imperij reijciatur. Concessum etiam est cuique vel à pontificia religione ad Euangelicam, vel contrà ab Euangelica ad pontificiam transire: ea tamen conditione, ut si subditus est, qui id facit, bona sua vendat, & aliò migret. Sin Ecclesiastica persona à pontificia religione discedit, dignitates & beneficia sua, saluo tamen honore & existimatione, relinquat. Hæc dispositio dura quidè visa est Euangelicis principibus atque Ordinibus, diùque laboratum, ut mitigaretur: sed ad extremum Ferdinandus ipse hanc particulam huic paci sacrae inseruit, ut Ecclesia

## DE AVGVSTO.

Ecclesiasticus, qui religionem mutat, beneficio suo multetur ac priuetur. Etsi autem Augustanæ confessionis socij palàm voce & scriptis protestati sunt: tamen obtineri amplius nihil potuit.

De bonis porrò & redditibus Ecclesiasticis eadem formula sic disponit, vt quæ ante transactionem Passauensem occupata sunt, & ad pios vsus translata, de ijs nec in iudicio, nec extra iudicium quisquam conueniatur, sed pari ratione in sua religione vtraque pars conquiescat, nec altera alteram turbet aut grauet. Hæc ferè summa est aureæ pacis, quæ inter Pontificios & Evangelicos ita conciliata est, vt ad omne tempus inuiolatè seruetur.

Nunc qui effectus eius sint, quàm breuissimè potero, exponam. Sunt autem effectus siue commoda huius pacis duo potissimùm, quantum ego existimare possum, vnus quidem Ecclesiasticus est, alter verò politicus: Ecclesiasticus effectus latè patet. Sepit enim & munit Ecclesiam reformatam, quæ Augustanam confessionem profiteretur, necessario præsidio, & ad omnes impetus aduersariorum quasi murus quidam opponi potest. Antea licitum sibi esse putabant Pontificij incurrere in damnum atque famam nostram: nunc verò ne cogitare

D

gitare

## ORATIO

gitare quidem, nedum tentare absque nefario crimine perfidiæ, seu pacis violatæ id possunt, sed ex edicto atque decreto imperij professionem Euangelij ferre ac tolerare, velint nolint, coguntur.

Quòd si etiam concilij Tridentini decreta fortè obijcere nobis velint, quasi illis obsequi nos oporteat: iure pacem Ecclesiæ nostræ datam opponimus, quæ ad nullum concilium pontificium alligata, sed ad Augustanæ confessionis formulam vnicè directæ est. Vt, si illam retinemus, nullum concilij decretum nocere nobis possit. Si ergo pontificij fœdus quodcunque contra nos ad delendam Euangelij doctrinam faciunt, crimine nefario seipse polluunt: dum pacem summo consensu imperij sanctam & firmatam infringere & labefactare nituntur. Hanc enim quicumque violandam putat, is vincula reuellit, non modò tranquillitatis necessariæ, sed etiam utilitatis vitæq; communis.

Quòd si etiam opinatur fortè aliquis, Ecclesiam Christi non egere isto præsidio pacis, cum Christo ipso custode ac patrono tuta sit; is hoc responsum habeat: Pacem in Ecclesia ingens Dei donum esse, & votis summis semper expetendum, quatenus

DE AVGVSTO.

tenus nihil habeat insidiarum, quod vel gloriam Dei lædat, vel conscientiae officiat, vel professionem veritatis impediatur. Talem Ecclesia omnibus ætatibus serio expetiuit, & quodocunque eam consecuta est, summi beneficii diuini loco habuit. Ante Constantinum Magnum, & in ipso etiam imperio eius, omnibus probris, maledictis, & iniurijs vexabatur religio Christiana à Maximino & Licinio, hostibus Christiani nominis: Sed accidebat tandem diuinitus, vt deletis hisce tyrannis, pax tuta tranquillaque Ecclesiae & Reipublicae per Constantinum Magnum redderetur. Vnde tanquam ex turbulentissima tempestate erepti ac recreati Christiani πανήγυρις, seu festum solenne celebrabant, in quo gratias Deo pro tanto pacis commodo agebant.

Huiusmodi pax cum etiam anno 55 Ecclesiae reformatae diuina gratia atque benignitate contigerit: quid facere nos conuenit aliud, quam gratissimis animis beneficium tantum persequi? Quod si facimus, præcepto Psalmi obtemperamus, & quae ad pacem sunt Hierosolymae, siue Ecclesiae, rogamus. Hoc ipsum fecerunt ante nos Lutherus, Melanchthon, & alij theologi in

D 2

Augua

## ORATIO

Augustano conuentu magno, cū pacem  
sive transactionem amicā summo studio  
flagitārent ab aduersarijs, his tamen con-  
ditionibus, quæ in hac formula pacis anno  
55 datæ comprehenduntur, vt salua sit in  
primis doctrina Euangelij de fide, de ope-  
ribus, de libertate Christiana. & de alijs par-  
tibus iuxta Augustanæ confessionis nor-  
mam. Secundò, vt vsus sacramentorum in-  
teger sit. Tertiò, ne importetur necessitas  
restituendi priuatas missas, & inuehendi  
sacrificium pro viuis & mortuis. Quartò, vt  
coniugium permittatur sacerdotibus, & li-  
bertas in traditionibus humanis, in ciborum  
discrimine & similibus retineatur. Sed quæ  
tunc propter aduersariorum acerbitatem  
obtinere non potuerunt, ea tandem hoc an-  
no 55 per omnia cumulatè pacis formulæ  
inserta sunt.

Nec hīc metuo eorum obiectionem, qui  
putant, non nisi vnam religionem esse fe-  
rendam, & ex agris & finibus Ecclesiæ ex-  
terminandam esse *αὐτονομίαν*, siue liberta-  
tem illam diuersæ & discrepantis religionis  
in Ecclesia Christiana. Sic enim censeo, o-  
ptandum quidem esse, vt vna sit & ortho-  
doxa, verboq; Dei consentiens religio in Ec-  
clesia: sed satis sit nobis, nostram religionem  
secundum Augustanam confessionem esse  
veram, & fundatam in sancto Dei verbo.  
Hanc



DE AVGVSTO.

Hanc ergo tueamur, & gratias Deo pro ea agamus. Pontificijs verò pontificiam religionem relinquamus: vtrique autem intra pacis limites, quibus septi & circumdati sumus, nos contineamus, & mutuis precibus, Christianæque caritatis officijs professionem nostram ornemus. Errores verò pontificios fugiamus, & constanter refutemus.

Politicus porro effectus pacis religioni datæ is est, vt imperij corpus quasi quidam nervus & vinculum contineat atque consolidet, quod corpus antè diuulsum distractumve erat horribiliter. Quæ enim causa distractionum antea fuit, ea per pacis formulam sublata est. Quid aliud Cæsarem à principibus Euangelicis alienauit, quàm quòd decretis de religione obtemperare recusarunt? Hanc recusationem Cæsar Pontificiorum impulsu rebellionem appellare solebat; cùm tamen principes & ciuitates, vna religione excepta, in cæteris obediētes sese Cæsari semper præstare parati essent. Quemadmodum hac ætate Belgæ regi suo Hispano obedientiam in omnibus promittunt, modò religionis professio libera concedatur. Hodie si vel concilij Tridentini, vel alijs decretis à Pontifice factis, minùs obtemperamus, rebelles non sumus: quia pax Religioni data, Augustanæ confessioni æquè atq; Pontificiæ religioni patrocinator.

## ORATIO

Quòd si etiam Ecclesiasticorum bonorum, aut episcopatum occupatorum causa, litem nobis intendere velint Pontificij: hac ipsa pacis formula tuti esse possumus, quæ vtrique parti permittit ea tenere, quæ ante transactionem Passauiensem occupauit, & ad pios vsus transtulit: penè ad eum modum, quo olim Thrasybulus Athenis ἀμνηστίαν siue concordiam, & omnium iniuriarum obliuionem sanxit ita, vt quisque haberet, quæ habebat.

Quid quod omnium est utilissimum, hac ipsa pace iugum pontificium omne à cervicibus nostris deiectum est. Augustana enim confessio, cui pax illa data est, separat & seiungit nos penitus ab Ecclesia pontificia, vt cum ea nihil commune nobis sit amplius, neque necessitate vlla astringamur ad sequendum aut tenendum Pontificia decreta, aut diplomata. Quemadmodum enim negat Pontifex, se ad Augustanæ confessionis nostræ dogmata alligatum esse: sic nos vicissim vllò decreto pontificio nos adstrictos teneri eodem iure possumus negare. Quod enim ius habet in Imperio catholica religio, quam vocant: idem habet etiam Augustana confessio. Ex quo intelligi facile potest, quàm insanus conatus Pontificis sit, cum Lutheranam religionem, vel

DE AVGVSTO.

vel hæresin, vt ipse vocat, quotannis iterata execratione excommunicat. Hoc enim ipso facto hostem sese esse pacis in Imperio satis demonstrat.

Quantò honestius & laudabilius fecit Augustus noster Elector, qui, vt omnibus planum faceret, se pacem hanc studiosè sanctèque colere, cum episcopis & archiepiscopis in imperio amanter familiaritèrque vixit, ab ijsque vicissim patris loco habitus & cultus est? Cuius exemplo nos quoque Pontificios neque odisse, neque insectari debemus, sed omnia ciuilia officia amanter fidelitèrque illis præstare, eaque vicissim ab ipsis expectare; vt hoc modo pax & concordia ciuilis in imperio conseruetur, & hostes à finibus nostris faciliùs repellantur. Id quod iam in coniunctione opum & virium contra communem hostem Turcam vsuvenire ipsa re comperimus.

Quod autem obijci potest de Episcopatu Coloniensi, cuius antistitem propter mutatam Religionem, loco motum esse scimus, & de ciuitatibus etiam nonnullis, quæ libertatem in Religione nullam hætenus consequi potuerunt; expeditu facile est, si ea, quæ hætenus exposita sunt, de pace religioni data, perpende-

## ORATIO

data, perpendere diligenter volumus. Est enim pax data duntaxat Augustanam confessionem profitentibus, nec prohibitum est ulli à pontificia religione ad Evangelicam transire: modò præscripta pacis norma seruetur. Vtinam verò id etiam obtineri potuisset, vt ab abusibus pontificijs ad veræ doctrinæ professionem, quæ in Augustana formula continetur, sine iactura honorum & bonorum, vnicuiq; transire liceret.

Sed contraho vela, ne extra modum prodeat oratio. Quicquid autem de pace religionis dixi hætenus, id omne eò pertinet, vt cum ante illam confectam plenum fuerit imperium non modò suspicionibus, sed etiam distractionibus, & bello denique ipso, nunc verò ingenti Dei beneficio tutam tranquillamq; Ecclesiam & rempub. habeamus; gratiam Deo nos debere pro tanto thesauro agnoscamus & profiteamur. Id quod hoc ipso etiam actu facere nos conuenit. Itaque tibi omnipotens & æterne Deus, æterne patris Domini nostri Iesu Christi, gratias agimus, quòd per salutare organum tuum principem Augustum imperij Septemvirum pacem nobis & posteris conciliasti: Teque oramus, vt ad amorem studiūque huius pacis mentes nostras incendas, quò deinceps etiam, quemadmodum iam inde ab anno quinquagesimo quinto factum est, tran-

DE AVGVSTO.

tranquillitate commoda in Ecclesia & po-  
litia fruamur. Et quia iam hostis immanif-  
simus Turca ceruicibus nostris imminet,  
& vi impressioneque Ecclesiam ac Rem-  
pub. nostram euertere conatur, ardentibus  
votis te rogamus, vt omnes motus co-  
natúsque illius prohibeas, & Christianis  
succesum atque felicitatem, quemadmo-  
dum facere cœpisti, largiri pergas: vt san-  
guis Christianorum innocentium profusus  
vindicaretur, & gloria sanctissimi tui no-  
minis, quod Turci contumelia afficiunt,  
asseratur. Postremò, quia attentissimis ani-  
mis summa cum benignitate auditus sum,  
gratias etiam ago vobis omnibus & singu-  
lis: quibus etiam pro ingenio & stu-  
dio meo meritam debitamque  
gratiam referre para-  
tus sum.

D 5 De

DE CHRISTIANO  
Sax. Duce & Electore.

*Oratio anniversaria*

MATTHAEI DRESSERI.

**I**nter pœnas fatales iure etiam  
fortium & bellicosorum prin-  
cipum penuria numeratur. Ita  
enim ex veterum rerum monu-  
mentis didicimus; cùm punire  
Deus gentem aut nationem voluit, copiam  
magnanimorum & salutarium ducum ab-  
tulit, qui impetum hostium sustinere, & vi-  
vim illatam defendere possent. Israëlitarũ  
Rempub. quoties punire Deus volebat, Du-  
ces fortes deesse sinebat. Eandem cùm libe-  
rare periculis summis constituerat, ducem  
non rudem excitabat, à quo, pulso fugatõ-  
que hoste, pax tranquillitasque desiderata  
restitueretur. Vngariam quoad saluam &  
integram esse à Turcis placuit Deo, Hu-  
niadem, & post eum Matthiam Regem ad-  
uersus illos armavit, qui incredibili animi  
robore & magnitudine patrium regnum tu-  
tati sunt, & barbaros repulerunt. Simul  
atque verò vindicare Deus vitia odij, li-  
uoris,

DE CHRISTIANO.

uoris, æmulationis, superbiæ, auaritiæ, libidinis, luxus, tyrannidis, quæ ad perniciem regni eruperant, in animo habuit: Ducum inopia tanta extitit, ut qui Solymano Turcorum Imperatori resisteret, non inueniretur. Itaque is anno XXI Belgradum maximum Vngariæ propugnaculum, nemine repugnante, cepit, eaque vrbe quasi ianua quadam effracta & reuulsa, totum regnum inuasit, multa oppida & castella diruit, & anno XXVI & impressione euertere regnum vniuersum aggressus est. Quærebatur ea tempestate Dux ad arcendum hostem tantum, sed inueniebatur nemo. Occurrebat vnus Tomorreus, S. Francisci Monachus, Colocensis Archiepiscopus, homo imperitus, Imperator rudis, spe tamen & animis nimium inflatus. Urgebatur etiam Rex ipse Ludouicus, cum vix annum ætatis XXI expleuisset, ut ad pugnam exiret. Factum est prælium atrox: Sed deerat Dux, qui consilio & virtute valeret. Itaque circumfusus Christianorum exercitus latis agminibus Turcorum, clade magna affectus est, in qua Tomorreus ipse periit, & audaciæ temeritatîsque suæ poenas iustas dedit. Rex verò ex pugna cum se eripuisset, in amne lutoque suffocatus est. Congressus erat valde impar:  
Turco

## ORATIO

Turcorum innumerabilis penè multitudo conspiciebatur, Christianorum verò vix vices quinque millia numerabantur. Sed plùs obfuit Christianis imperitia monachi ducis temerarij & rudis, quàm copiarum exiguitas. Melior enim est exercitus ceruorum, duce leone, quàm leonum exercitus duce ceruo, vt est in Leonidis Spartani Ducis apophthegmate. Fato igitur fit, vt Duces sint periti & bellicosi, cùm benefacere Deus vult nobis; desint verò, cùm calamitas & clades aliqua diuinitus impendet.

Quod quàm verum sit, etiam nos hoc nostro turbulentissimo tempore summo nostro incommodo atque periculo experimur. Bellum est graue & vehemens in finibus patriæ nostræ aduersus Turcas, qui omnem regni sui vim atq; conatum in nostram perniciem conuertunt, & meditantur. Comparantur aduersus eos copiae ex omni parte, conferuntur sumtus ad confirmandas rationes belli: Sed desideratur Dux ad tantum bellum idoneus & felix, pugnâque exercitatus. Hic quò ardentioribus votis expetitur, eò magis iacturam Sax. principum deploramus, Mauritij, Ioannis V Vilhelmi, Augusti, & ante triennium à capite nostro ablati Christiani, in quo ardor quidam animi celsi elucebat. Amabat is rem militarem impensius



## DE CHRISTIANO.

impensius, & sumtus in eam faciebat magnos, quos multò iustius, & absque dubio libentius fecisset in bellum hoc graue, quod nunc ab Ordinibus cunctis contra Turcas geritur, si diutius in vita esse ei licuisset. Hanc iacturam totiusque imperij calamitatem lamentarer dolentius, si quicquam querelis aut lacrymis profici posset. Quocirca ommissis lamentis inutilibus, ad ea, quæ anniuersaria Christiani Ducis memoria hodierno die repetenda, & hoc præsens tempus atque necessitas flagitant, orationem conuertam. Ac primùm quidem de titulis Sax. ducum historica quædam commemorabo, tum de gestis Christiani Electoris pauca adiungam. Hæc dum persequor, quæso à vobis omnibus & singulis, magnific. Dn. Rector, viri cuiuscunque ordinis honoratissimi, & Studiosi Deo & Musis consecrati, vt me in caussa huic instituto conuentui accommodata, vobis verò, quemadmodum spero, non molesta, benignè audiatis.

Tituli Sax. Ducum complures sunt, & dignitatis pleni. Sunt Duces, sunt Marchiones, sunt Landgrauij, sunt Marschalli, sunt viiviri, sunt Burggrauij. Hi partim Sax. principibus communes & hæreditarij sunt, partim iure quodam successionis, ab imperio vni præter cæteros tribuuntur. Postremus verò tandè, tanquã cumulus aliquis amplitu-

## ORATIO

amplitudinis ad hanc familiam adiunctus est.

Ducatus Sax. antiquissimus est ex regio titulo ortus. Sunt enim procreati Saxon. principes à nobilissima VVitikindi Sax. & Angariorum regis stirpe, qui à Carolo Magno Imperatore, anno Christi 785 ad religionem Christianam adductus, vnà cum professione fidei veræ etiam hoc amplissimum decus in familiam Sax. intulit, & deposito nomine regio, Ducis nomen assumpsit. Etsi enim regius titulus augustior est: tamen hæreditarius ille VVitikindeæ familiæ non fuit, sed tum demum vsurpatus, cum Imperator pugna exercitatus ad bellum gerendum contra Francos deligendus fuit. Desiitque adeò regis nomen, simul atque bellum fuit confectum, perinde vt apud Romanos olim Impetatoris. Ducis verò nomen à Carolo Magno ad hanc Sax. VVitikindi familiam semel translatus, iure hæreditario ad omnes posteros spectat, vt deinceps principes ducésque Sax. appellentur, quotquot ex hac stirpe VVitikindi prognati sunt.

Complura hîc concurrunt, quæ considerationem attentam requirunt. Primum quidem stabilitas honoris ac tituli tanta, vt nusquam interrupta sanguinis serie ab anno Christi 785 in hunc vsque diem duret.

## DE CHRISTIANO.

duret. Distat enim Christianus Dux & Elector, de quo agimus, à VVitikindo Magno, in descendente linea vigesimo primo gradu. Deinde religionis constantia, quæ admirabilis est in hac familia. Initio VVitikindus Magnus tanta pertinacia idolomaniam Ethnicam defendit, vt triginta tres annos totos cum Carolo Magno de ea plurimis & maximis prælijs decertarit. Quò autem maiore animo & contentione pro sua Religione Ethnica propugnauit, eò postea religionem Christianã semel probatam & acceptam constantius retinuit, & firmitus tutatus est. Non enim ex Ethnico non ardente ardens fit Christianus: sicut nec ex Pontificio leui ardens & constans Euangelicus, quemadmodum Lutherus etiam censuit.

Quanquam autem in religionem Christianam, à Caroli Magni & VVitikindi temporibus, errores pontificij complures & horribiles infusi sunt: tamen cum repurgari religio à Luthero cœpit, prima extitit hæc VVitikindea soboles, quæ reformatam religionem non solum amplexa est, sed eandem etiam grauitate constantiaq; summa defendit. Fridericus quidem cognomento sapiens primus illucescenti doctrinæ Euangelij portas aperuit, & hospitium patrociniũque Ecclesiæ

ORATIO

Ecclesiae reformatae praebuit. Ioannes Elector Sax. laudem constantiae summam in tribus imperij conuentibus adeptus est. Ioannes Fridericus exilij captiuitatisque aeternas perferre maluit, quam de professione Euangelij aliquid remittere. Eius Exemplum imitati filij, Ioannes Fridericus, Ioannes Guilelmus, & Ioannes Fridericus minor nati, graues constantisque in Euangelij professione reperti sunt. Quae sane magis mirum est, inuentos esse nonnullos, Electore Christiano, qui ritus & doctrinam à Luthero relictam atque propagatam haecenus, mutare studuerint, ac principis ipsius mentem ad hoc consilium suum exequendum inclinare coeperint. Quod quam alienum sit à Sax. ingenio & moribus, quorum constantia & grauitas in religione quasi auita & haereditaria est, ex historijs intelligere possumus. Sed de hoc postea, cum de actis Christiani nostri Ducis agatur.

Nunc de ducatu Sax. haec attigisse satis sit, ut unde sit, & quando coeperit, constare possit. Incrementa verò Sax. familiae tanta sunt, ut non solum ad honores summos ascenderit, sed etiam per totum imperium diffusa, & ad externa etiam regna & ducatus propagata sit. Nam ad  
duca-

## DE CHRISTIANO

ducatus dignitatem adiunxit alia ornamenta, & ad summum imperium elata est. In imperio quidem imperatores & duces præcipui ex Sax. stirpe nati sunt, extra imperium verò reges Galliæ, duces Allobrogum, Marchiones Montisferrati, & alij, quos enumerare omnes non finit huius horæ curriculum, in quod coacti sumus. Hinc Henricus Auceps, & post eum Othones, alijq; imperatores prouenerunt. Hinc reges Galliæ ab Hugone Capeto vsq; , qui anno Christi 188 Rex designatus & confirmatus est, descendunt. Hinc amplissimæ familiæ per imperiū vniuersum diffusæ initiū duxerunt.

Ac perpendite quæso, auditores magnifici, ac ornatiss. gradus reliquos, ad quos hæc familia Sax. admirabili bonitate Dei ascendit. Tametsi enim, vt fert omnium humanarum rerum natura atque conditio, post VVitikindum iuniorem, & filium eius Ditingremum, VVitikindea stirps ita minui cœpit, vt ad tempus aliquod tantum VVerini comites & Burggrauios Zorbeci habuerit: tamen tandem Thimo Burggrauius Zorbeci, & comes VVerini virtute & rebus multis, bellis præclarè gestis emerfit, & ab Henrico III imperatore primum ductor exercituū, post etiam Marchio Mysniæ designatus est: in possessionem tamen ipse nō peruenit, sed filius eius Conradus Pius demū anno Chri-

E

sti

ORATIO

fti 1336 à Lothario Cæfare, feudum accepit,  
& Marchio Myfniæ, Lufatiæ, & Landsber-  
gi, comes VVetini, Brenæ, Henburgi, Gratiij,  
Leusnikij, & Rochlicij dictus est. Hæc in-  
fignis fuit accessio ad honorẽ & decus VVi-  
tikindææ familiæ, cum Myfniæ Marchio-  
natus ei adiunctus est, virtute partus, & ab  
imperatore ipso donatus.

Est autem Marchio præses limitaneus: &  
Marchia prouincia seu præfectura, seu satra-  
pia, ἐπαρχία limitanea: nomine ex veteri lin-  
gua Celtica sumto, fuitque officium Mar-  
chionis tueri fines sibi cõmissos, ab excursio-  
nibus hostium. Ad eundem vsum etiam My-  
fnefis Marchia initio condita est, vt esset præ-  
sidium ad reprimendas excursiones Vngaro-  
rum Sarmatarũ, & Boiemorũ, vel Riparenfi-  
um militum, quemadmodum in Codice l. cõ-  
tra publicã, tit. de re militari, hostes barbari  
appellantur. Sed vndenam Myfniæ nomen  
est, & quando in historijs vsurpari cœpit? Re-  
spondeo: Myfniæ nomẽ absq; dubio ab vrbe  
Myfna, vrbs verò ipsa à riuo præterlabente  
nomẽ adepta est. Sic enim Ditmarus scribit:  
Anno Christi 930 Henricus Auceps imperator  
mõtem vnum iuxta Albim positum, & arborum  
densitate tunc occupatum excoluit, vbi  
urbem faciens de riuo quodã, qui in Septen-  
trionali parte eiusdem fluit, nomen eidem  
Myfniæ imposuit. Non libet hîc disputare de  
Myfis Asiaticis, qui in Scythia olim conlede-  
ria

*DE CHRISTIANO.*

runt, postea in Bithyniam progressi sunt, tandemq; in Europam ad Danubium venerint, ibiq; sedem rerum ac fortunarum suarū collocarint. Hi enim quando in Germaniam penetrarint, fateor me ignorare, & satis habeo, Mysnenses, deiectis Sorabis ab Henrico Ancepe anno Christi 930. in hanc regionem, quæ à Mysna riuo nomen accepit, tanquam in colonias ex omni Germania, deductos atq; collocatos esse.

Tertius titulus Ducum Sax. est comitis provincialis seu Landgrauij Turingiæ; quæ dignitas anno Christi 1270 ad familiam Sax. accessit. Fuerunt quidem ante illud tempus etiam comites Turingiæ: sed Lotharius, qui anno Christi 1125 imperator factus est, speciali & eximio quodam favore Ludouicum Barbatum comitē Turingiæ hac nouâ accessione dignitatis auxit, vt Landgrauius Turingiæ appellaretur, & quò plus virium atq; potentiae haberet, etiam Hassiæ prouinciã adiunxit. Grauius autē vel **Grass** germanis iudex est. Inde Lādgrauius iudex limitaneus siue provincialis appellatur. Hæc dignitas in stirpe Landgrauiorum Turingiæ remansit vsq; ad Ludouicum vltimum, qui cum sobolē masculam post se nullam reliquisset, Hassiam occupauit dux Henricus Brabantinus: Turingiam verò Henricus Marchio Mysniæ, anno eo, quem dixi, ex pacto obtinuit. Hoc pactum cum Rudolphus Cæsar confirmasset, pactio

E . hære-

## ORATIO

hæreditaria hæc, quæ inter Turingiæ & Hafsiaë principes est, inde extitit. Distat hic Henricus Mysniæ Marchio, & primus in familia Sax, Landgravius, gradibus decem in linea ascendente à Christiano Sax. duce, de quo agimus.

Ad Landgraviij dignitatem, interuallo centum fermè & quinquaginta annorū, accessit summum illud decus Septemviratus in imperio germanico, quod anno Christi 1424 Fridericus IIII cognomento bellicosus in hanc familiam intulit. Est autem geminum huius dignitatis decus, vnū Archimarschalli, alterum Electoris. Est autem Marschal Latinis idem quod equorum magister, vel præfectus rei equestri, perinde vt apud Gallos est comes stabularius, vel comes stabuli, Conestabel. Vnde & magister palatij vocatur is, qui aulæ præfectus est: Archi autem, ex Græco, quod est ἀρχός, factum est, quo princeps significatur.

Officium porrò Archimarschalli disticho quodam germanico indicatur, quod docet, insigne duorum ensium transuersorum ad excindendos Sclauos Sax. ducibus tributū esse. Ex quo Ensfiferi ξιφκφόρς appellatio orta. Electoris nomen, quod germanis est Churf. Græcis ἀρχουερταςις ab eligendo siue designando & creando imperatore deductum est. Omnis enim potestas declarandi



DE CHRISTIANO.

di imperatorem ad Septemviros seu principes septem translata est, ex quorum sola electione verus est imperator.

Reliquus est Burggrauij Magdepurgensis titulus, quem inter Electores primus olim Rudolphus primus ex Alberto I I Sax. Electore, & Agnete Rudolphi imperatoris filia natus vsurpauit. Nomen autem Burggrauij factum est ex Græco  $\pi\acute{\upsilon}\rho\gamma\omicron$ , quod germanis est **Burg**, latinis arx siue castrum. Unde Burggrauatus dignitas arcis seu castri præsidium & præfecturam denotat. Hæc in controuersiam & contentionem iam antè adducta est, de eaq; iterum anno 1538 disceptari cœptū, inter archiepiscopū Magdepurgensem Albertum Cardinalē, qui Burggrauij iura in vrbe Magdepurga, & salinis Sax. impediuit, & Ioannem Fridericū Sax. ducem Electorem, qui persoluta pecunia, qua dignitas ista cum oppido Gommern vendita oppignorataq; fuerat, pristinum ius titulumq; sibi vendicauit. Indictus est conuentus Seruesti, in quo placidè lis componeretur, sed prolato à Cardinali Cæsaris Caroli V diplomate, infecta re discessum est.

Incidit postea bellum Magdepurgicum, cuius exitus is tandem fuit, vt Cæsaris mandato vrbs Magdepurga, certis tamen conditionibus, in Mauritij Electoris Sax. fidem sese dederet, & post eum iisdem conditionibus

## ORATIO

nibus in Augusti Electoris fide remaneret. Ex quo cum incommoda & certamina multa orirentur: factum est, intercedentibus principibus & Electoribus vicinis, Brandepurgico & Hesso, ut bona gratia & pace controuersia omnis sublata sit; hoc pacto, ut Burggrauij dignitatem titulumq; Elector Sax. retineret, iure verò per transactionem Magdepurgensem soluta eius obsidione, impetrato cederet. Id quod etiam factum est, & ab imperatore ipso confirmatum anno Christi 1579.

Hi sunt tituli, quibus Deus domum Sax. sub cuius tutela atq; presidio latemus, ornauit & auxit. Hos ego in hoc anniuersaria memoria Christiani Electoris persequi volui, ut ad recordationem gratam me & auditores incenderem, pro tanto beneficio Dei: tum ut exuscitarem etiam mentes nostras ad faciendum vota, ut perpetua hæc sint Principum nostrorum ornamenta atq; præsidia. Videmus equidem, nihil omnium, quæ Sax. familiæ concessa atq; tributa sunt à Deo, imminutum aut perditum esse hætenus, sed aucta potius ac cumulata penè omnia. Errat autem vehementer, si quis existimat, casu tanta bona in hac amplissima familia in hunc usque diem conseruari. Deus iam tum, cum per Carolum Magnum conuertit ad fidem Christianam Vitikindum Saxonem, in animo habuit Ecclesiæ suæ hospitium in hoc Ducatu parare. Idq; non solum, sed religionem etiam à Sophistis

DE CHRISTIANO.

phistis & Monachis corruptam & depravatā, in pristinum nitorem atq; puritatem vindicare, per salutare principes Sax. Fridericum, Ioannem, Ioannem Fridericum, Ioannem Guilelmum, Mauritium, & Augustum decreuit. Iccirco hanc familiā tanta constantia tutatus est, tantisq; ornamentis atq; honoribus cumulauit.

Hæc ipsa decora summa in Ecclesia & politica etiam ad Christianum principem Electorem nostrum translata sunt, ac propagata. Accepit à patre Augusto maximos honores, opes, authoritatem, Rempub. item iure & legibus optimè constitutam atq; firmatam. Accepit quoq; religionem veram & integram in Biblijs sanctis, Augustana confessione, & scriptis Lutheri atq; Philippi comprehensam. Hunc enim summi pretij thesaurum Christianissimus pater Christiano suo filio post se reliquit. Ac politica quidem ornamenta ac decora summa grauitè constanterq; tutatus est Christianus, adedò quidem vt etiam hostibus & barbaris terrori esse potuisset, si vixisset. Ac vtinā ad hæc tempora nobis reseruatus esset, quo Turci patriæ nostræ fines inuadunt, & libertati, vitæ fortunisque nostris imminēt. Hic enim si reliquus esset, ducem aduersus istos barbaros nō magnoperè requireremus. Adedò & generosus animus & virtus ipsius sese dabant, vt ad propugnandum pro patria contra quosuis hostes satis paratus esse videretur.

## ORATIO

Sed in religionis doctrina quædam fieri declinatio incipiebat à ceremonijs seu ritibus Ecclesiasticis, quos Lutherus nobis post se reliquit. Nec obscura etiam deprehendebatur inclinatio, ad diuersam à Lutheri & August. confessionis doctrina sententiã de baptismo, de cœna Domini, de prædestinatione. Augustana enim confessio illa vera & vnica, quæ anno 30 in imperiali conuentu recitata est, eleuabatur, & alia reformata vel correctã anteferebatur, qualem tamen nemo neq; principum Lutheranorũ neq; subditorum agnoscit. In baptisimi formula exorcismus abolebatur, vt eius abrogatio aditus esset ad conuellenda cætera, quæ in doctrina & ceremonijs Lutheri aduersarijs nostris displicent. Sed cui hæc tribuo? Principine Christiano Electori? Minime. Meminimus ante annos nõ ita multos idem penè euenisse grauissimo principi Electori Augusto, vt penè à recta sententia Lutheri ad aliorum, qui ab eo dissentiunt, opinionones deduceretur. Nullum enim genus hominum perniciosius est, & ad seducendum aptius, quàm illud, quod aliud corde sentit, & aliud ore profert. Quo genere hominũ vterq; princeps conflictatus est. Et Augustus quidẽ maturè fraudem olfecit & discussit. Christianus verò, propter ætatem & studium rei equestris, infidias nondum planè deprehenderat. Et quĩ deprehenderit? Quotus enim quisq; eorum, qui inuehere in Ecclesiam no-  
ua

## DE CHRISTIANO.

ua dogmata & ceremonias conabantur, talem sese profitebatur, qualis erat? An non iurare nonnulli audebant, se Caluini sectatores non esse, imò malle se à Diabolo abripi, quàm Caluinū sectari. Interim tamen re & facto id moliebatur, idq; quærebant, vt doctrinam Lutheri exterminarent ex Ecclesia, & pro ea Caluini dogmata inueherent, id quod euentus nunc, si antè obscurum fuisset, satis docet, posteaquam ad Caluinistas profugerunt, & cū illis Caluini dogmata defendunt.

Quid? quod princeps quicquid permisit & concessit hisce autoribus nouæ Religionis in hoc Ducatu, id non sua autoritate permisit, sed prius consilia & sententias Theologorum suorum in iudicijs Ecclesiasticis explorauit. Legi ipse diplomata ad assessores in iudicijs talibus data, quibus nihil pro suo iure & autoritate sese facturum affirmat princeps, sed ipsorum consilium se secuturum profitetur. Veniebat illud tempus, quo abrogatio exorcismi seuerè vrgebatur. Cuius culpa ea erat? principis ne? Minimè. Sed eorum erat, qui in iudicijs assidebant, & abrogationem partim suadebant, partim dissuadere non audebant. Hi ergo accusentur, & si hîc non accusantur, certè tamen accusabuntur in extremo iudicio coram eo, qui nullo furo, nullaq; assentatione capi aut decipi potest. Quid magis decuit tales, quàm simpliciter verèque,  
E 5 quid

## ORATIO

quid verbo Dei consonum, quid aduersum sit, quid Ecclesiae proficit, aut obsit, principi consulenti & sententiam exquirenti exponere. Non statim capitale hoc fuisset, et etiam si perpetiendum aut sustinendum, instinctu nouatorum & turbatorum Ecclesiae, aliquid fortè fuisset, non propterea tamen de vita & fortunis omnibus actum fuisset. Ah nimis delicati sumus, molles, inconstantes, & prorsus alieni ab auita constantia & grauitate gentis Saxonicae, cuius vestigia persequi, nisi degeneres esse volumus, debemus.

Quò sanè magis laudanda est integritas & grauitas nobiliù plerorumq; qui abrogationem Exorcismi neq; admittere, neq; ferre uoluerunt. Hi verè tunc in illa tempestate columnæ fuerunt Ecclesiae, qui nisi turbatoribus Ecclesiae restitissent, multò peiora experti fuissimus. Ergo laus debetur illis sempiterna: quemadmodum & alijs nonnullis, qui in Ecclesia constantes sese præbuerunt, pastoribus, laicis, etiam pueris, uiris & foeminis, qui precibus suis ardentibus tempestatè periculi ab Ecclesia depulerunt. Nec sanctum est talia reticere aut obliuisci, cum in historia Christiani Ducis Electoris maximè insignia sint & memorabilia, & qui cupit ea dissimulari aut obriui prorsus, in Deum ipsum ingratus est.

Nunc dissecta dissipataque est tempestas  
omnis

## DE CHRISTIANO

omnis, & quies ab aduersarijs optata nobis restituta in Ecclesia & politica. Sed quomodo nos gerimus? quo pacto hoc admirabili beneficio Dei utimur? Verè nobis id accidit, quod Cicero in oratione pro Murena ait: Cui placet, obliuiscitur: cui dolet, meminit. Obliuiscimur scilicet nos omnium, quæ tunc à Deo in nos profecta sunt. Aduersarij verò, quos spes & opinio miserè fefellit, nostra felicitate dolent, & vicissitudinem sollicitis animis expectant. Et in ea quidem obliuione nos frena cupiditatibus, libidini, luxui, auaritiæ, superbiæ magis quam vnquam laxamus. Obsidet fines patriæ nostræ hostis omnium truculentissimus, qui nulli religioni, nullis literis, nulli pudori parcit, sed vastitatem & barbariem immanem minatur, & quocunque ingreditur, acinacem, ignem, & rapinas infert. Quæ idea aut species mali summi ab hoc hoste non impendet nobis? Flere igitur, & saccos induere debebamus, Propheticaeque concioni obtemperare, quæ vlulare iubet, quoniam propinquus est dies Domini, & quasi vastitas ab omnipotente veniet. Audimus quotidie, quantus furor sit Turcorum, quanta rabies. Audimus de cælo fulgura & tonitrua horrenda, in terra tremores: et tamè non respicimus ad eum, qui ista facit, nec oculis conuertimur ad eum, qui ista eminus format.

mat.

## O R A T I O

mat. Sed magis afferamur indies, luxum & superbiam cumulamus. Credo ab eo tempore exiguo, quo firmata est nobis Dei beneficio integritas verbi, sacramentorum & ceremoniarum, duplo vel triplo auctum esse luxum. Qui antè aurum ostentârunt, nunc eo neglecto, margaritas venditant, qui antè tribus aut quatuor ferculis contenti fuerunt in conuiujs, nunc decem & amplius expromunt. Quæ vestes antea satis honestæ habitæ sunt, eæ nunc vilescunt, & nouæ indies penè ac prodigiosæ proferuntur. Omnia deniq; sic comparantur, vt homines pios summoperè perturbent & offendant, nedum angelos & Deum ipsum. Inuectæ sunt nuper admodum & adiectæ tunicis caudæ, quas qui aspicit, caudas Draconum sese videre putat, totoq; animo & corpore exhorrescit. Quòd si homines pij ita offenduntur, quid putas fieri in cælis? Quibus oculis Deus, quibus angeli intuentur? Obseruat Deus apud Prophetam ornamenta calceorum, fibulas, & lunulas, fimbrias, & alia, quæ nos minuta esse arbitramur. Quantò magis obseruat horribiles illas Draconum caudas, & alia ad luxum & superbiam comparata ornamenta?

Hæc si quis fortè aliena à persona mea, & ab hoc loco existimat, aut grauitè fert; is sciat ab oratoribus nunquam alienam fuisse



## DE CHRISTIANO.

se libertatem orationis, quod Demosthenis & Ciceronis exempla demonstrant. Ac si ea ab oratoribus nostris audire recusamus, futurum est, vt vel à Turcis audire cogamur, vel de cælo per tonitrua & fulgura admoneamur & terreamur.

Sed longiùs euagatur oratio: tempus est, finem aliquando dicendi de his rebus fieri.

Quamobrem, quod & consuetudo & præsens necessitas postulat, ad te, omnipotens, æterne & viue Deus, æterne pater Domini nostri Iesu Christi, mentes & oculos nostros conuertimus, ex animo precantes, vt in primis verbum tuum purum & incorruptum, cum integro Sacramentorum viũ inter nos serues, ac nobis omnibus in professione illius constantiam Christianis & Saxonibus dignam largiaris. Tum familiam Sax. sub cuius tutela ac præsidio nos collocasti, sicut pupillam oculi tui custodias: principi nostro Administratori, Domino Friderico Guilelmo, in gubernatione Ecclesiæ & Reipub. benignè adsis, eius consilia & actiones omnes modereris, & dirigas ad sanctiss. nominis tui gloriam, & communem patriæ, totiùsque imperij salutem: Principes denique impuberes foveas & regas, vt piè rectèque educentur, & erudiantur ad veræ religionis, fortitudinis, iustitiæ, casti-

tatis,

## ORATIO

tatis, temperantiæ, humanitatis, constantiæ & disciplinæ cultum atque conseruationem, ne in hac laudatissima familia Sax. & stirpe VVirikindea vnquam cesset verbi tui professio, & auitæ virtutis exercitatio. Postremò vota facimus, vt in hac etiam Academia literarum aliquod studium permaneat, disciplina colatur, & multi ad iustitiam erudiantur.

Sed quid? Obliuiscemur ne cladis, quam res Christianæ in Vngaria ante paucos dies acceperunt? Obliuiscemur fratrum & sororum nostrarum, quæ durissima & arctissima obsidione in vrbe Iaurino vel Raba premuntur? At quomodo possumus obliuisci, cum ea res aras, focos, & lares nostros attingat? Antè spei aliquid, post Deum immortalem, habuimus in præsidio militari, quod Turcis oppositum in Vngaria erat: Nunc verò illud dissipatum, distractum, conuulsam, & labefactatum est, tormenta bellica erepta, currus amissi, equites fugati, pedites fusi. Hostis contra elatus successu & victoria, quasi actum sit de salute nostra omni, spiritus magnos sumit, & in omnium nostrorum corpora, possessiones, atque fortunas crudelissimos oculos spe & mente defigit. Non vr-  
bibus nostris, non domibus, non senibus, non iuuenibus, non viris, non mulieribus, non infantibus parcere cupit. Hic est ille, qui super-  
perbiam

## DE CHRISTIANO.

perbiam nostram reprimere conatur. Hic aurum, cuius copiam nouam singulis penè nuptijs ostentamus, auferre in animo habet: Hic luxum immoderatum minuere gestit: hic caudas Draconum abscindere vestibus, & tollere lineas margaritarum desiderat. Est enim superbia nostra adeò accumulata, vt ad Turcas etiã absque vllò dubio penetrãrit rumor. Huic igitur prædæ tam opimæ dies & noctes inhiant Turcæ. Nec inultum Deus amplius sinet tantum fastum, qui adeò inualuit, vt reformident eum aures piorum, refugiant oculi: Eò, proh dolor, redacti sumus miseri, vt ὡσαύτως ἀποκλήνηότες, Epicureo contemptu & luxu quotidie magis effermur. Percutimur quidem à Deo, sed dolorem nullum sentimus: affligimur, sed non emendamur: duriores saxis sunt facies nostræ, & conuerti nolumus.

Quid ergo? nihil opis, nihil remedij est reliquum? Imò est, exemplo Ezechiaë Iudæorum Regis in summas angustias ab Assyriorum Rege adducti, in domo Domini expandamus manus coram Domino, & oremus: Domine exercituum, Deus Israël, qui sedes super Cherubin, tu es solus Deus super omnia regna terræ: tuum est cælum & terra, & quicquid habemus, inclina aurem tuã, & audi: Aperi Dñe oculos tuos, et vide calamitatē, quã accepit Christiana tua Respub. & quæ adhuc impendet

ORATIO

impendet nobis ab immanissimis Turcis. Reprime furorem illorum, ne Ecclesiam & politiam Christianam penitus euertant, ac hæreditatem tuam deuorent. Vtique Domine, tanta est potentia Turcorum, tantusque in hunc vsque diem successus, vt nemo eorum opes minuere aut labefactare hætenus potuerit. Quare nec nos infringere eas poterimus, nisi tu vires, & victoriam suppeditaueris. Tu solus es, à quo pendemus: tibi nos totos tradimus: tu nos salua de manu Turcorum: tu serua nos, ne pereamus: vt cognoscant omnia regna terræ, quòd tu solus es Dominus.




154603

AB 154603

(X2203733)





B.I.G.

Farbkarte #13

*Matthæi Dresseri*

ORATIONES  
ANNIVERSA-  
RIÆ TRES, DE PRIN-  
cipibus Electoribus  
Saxonix:

*Vna de Mauritio, quæ bellum ad Pestum in  
Vngaria anno 42. contra Turcas gestum, & ex-  
peditionem, quæ hoc tempore contra eosdem  
suscepta est, exponit.*

*Altera de Augusto, quæ de commodo pacis,  
quæ anno 55. religioni data est, disserit.*

*Tertia de Christiano, quæ titulos principum  
Saxonix, & statum religionis ac politix, quæ  
sub eo fuit, enarrat.*

Habitæ in Academia Li-  
psensi, anno 1594.



VVITEBERGÆ

*Excusa typis M. Simonis Gronenbergij.*

M. D. XCV.